

de Cultu Sanctorum.

11

*Sanate agros moribus,
Nos reddentes virtutibus.*

Quid hic Bellarmine? An orare est præcepto sub-
ditam habere salutem & languores omnium? An
quisquam Christianus Christiano unquam dixit, sana
me agrum moribus, & redde me virtutibus, quia præ-
cepto subditam habes salutem & languores meos?
Annon hoc est Divinitatem mortuis affingere, quod tu
suprà mendacium impudentissimum esse dicebas? An in
orante est salus & languor omnium? Annon magis in
eo qui oratur, qui dat sua dona non ut volumus, sed ut
vult?

XII.

Neque plus in distinctione mediationis, atque
in distinctione orationum & auxiliorum est subsidij &
soliditatis. Præclara audimus verba. Christus, in-
quiunt *Tridentini*, solus noster Redemptor & Salva-
tor est; Nihil à Sanctis peti potest, inquit Bellarm. lib. 1.
de Sanct. beatitudine cap. 17. nisi ut intercedant apud
Deum, quò nobis Christi meritum applicetur, & per
Christum gratiam & gloriam consequamur. *Atque*
rem ipsam videamus. Dicit improvidus homo, hoc ipso
capite, licere dicere, Sancte Petre miserere mei, salva
me, *modò subintelligatur*; Da mihi hoc & illud tuis præ-
cibus & meritis. An hoc est tantum orare pro alijs,
ut eis merita Christi applicentur? Nonnè qui propria
merita pro alijs allegat, ille petit audiri non tantum
propter Christum, sed & propter se, ille non tantum
petit applicari Christi meritum, sed & suum? sed vi-
deamus ex multis alijs pauca quædam. *Lombardus*
lib. 4. Distinct. 45. Intercedunt ad Deum pro nobis Sancti,
& merito, dum illorum merita suffragantur nobis, & affe-

B 2

611